

naturalibus est. Et quia natura contra rationem dividitur, à qua homo est homo, ideo strictissimo modo accipiendo jus naturale, illa quæ ad homines tantum pertinent, etsi sint de dictamine rationis naturalis, non dicuntur esse de jure naturali; sed illa tantum quæ naturalis ratio dicitur de his quæ sunt homini, aliisque communita: & sic datur dicta definitio, scilicet: *Jus naturale est quod natura omnia animalia docuit.* Pluralitas ergo uxorum quamvis non sit contra jus naturale tertio modo acceptum, est tamen contra jus naturale secundo modo acceptum, quia jure divino prohibetur; & etiam contra jus naturale primo modo acceptum, ut ex dictis patet, quod natura dicitur animali cuilibet secundum modum convenientem suæ speciei: unde etiam quædam animalia, in quibus ad educationem proles (1) requiritur sollicitudo utriusque, scilicet maris, & femine, naturali instinctu servant conjunctionem unius ad unum, sicut patet in turture, & columba, & hujusmodi.

Ad (2) quantum patet solutio ex dictis.

Sed quia rationes in contrarium adductæ videntur ostendere quod pluralitas uxorum sit contra prima principia legis naturæ; ideo ad eas est respondendum.

Et dicendum ad sextum, quod natura humana absque omni defectu insituta est: & ideo non solum sunt ei indita illa sine quibus principalis matrimonii finis esse non potest, sed etiam illa sine quibus secundarius finis matrimonii sine difficultate haberi non posset: & hoc modo sufficit homini in ipsa sui insitulatione habere unam uxorem, ut dictum est.

Ad septimum dicendum, quod vir per matrimonium non dat sui corporis potestatem uxori quantum ad omnia, sed solum quantum ad illa quæ matrimonium requirit. Non autem requirit matrimonium ut quolibet tempore uxori petenti vir debitum reddat, nisi quantum ad id ad quod principaliter est institutum, scilicet bonum proles, & quantum sufficit ad imprægnationem. Requirit autem hoc matrimonium, in quantum est ad remedium insitutum, quod est secundarius ipsius finis, ut quolibet tempore petenti debitum reddatur: & sic patet quod accipiens plures uxores non se obligat ad impossibile, considerato principali fine matrimonii: & ideo pluralitas uxorum non est contra præcepta prima legis naturæ.

Ad octavum dicendum, quod illud præceptum legis naturæ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* debet intelligi eadem proportionem servata. Non enim si prælati non vult sibi resisti à subdito, ipse subdito resistere non debet: & ideo non oportet ex vi illius præcepti, quod, si vir non vult quod uxor sua non habeat alium virum, ipse non habeat aliam uxorem: quia unum virum habere plures uxores non est contra prima præcepta legis naturæ, ut dictum est; sed unam uxorem habere plures viros est contra prima præcepta legis naturæ, eo quod per hoc quantum ad aliquid totaliter tollitur, & quantum ad aliquid impeditur bonum proles, quod est principalis matrimonii finis. In bono enim proles intelligitur non solum procreatio, sed etiam educatio, ut supra dictum est. Ipsa enim procreatio proles, etsi non totaliter tollatur, quia contingit post imprægnationem primam iterum mulierem imprægnari, ut dicitur in VII. de animalibus, cap. IV. tamen multum impeditur: quia vix potest accidere quin corruptio accidat quantum ad utrumque foetum, vel quantum ad alterum.

(1) Al. sequitur. (2) Hæc addimus ex Supplem. q. LXV. art. 1. & pro eo quod erat ad quintum, ad sextum responsum, & sic deinceps, ut objectionibus solutiones respondeant.

Sed educatio totaliter tollitur, quia ex hoc quod una mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo proles respectu patris, cujus cura necessaria est in educando: & ideo nulla lege, aut consuetudine est permissum unam uxorem habere plures viros, sicut è converso.

Ad nonum dicendum, quod naturalis inclinatio in appetitiva sequitur naturalem conceptionem in cognitione: & quia non est ita contra conceptionem naturalem quod vir habeat plures uxores, sicut quod uxor habeat plures viros; ideo affectus uxoris non tantum refugit consortium in viro, sicut è converso: & ideo tam in hominibus, quam in animalibus invenitur majus zelus maris ad foeminam, quam è converso.

ARTICULUS II.

Utrum habere plures uxores potuerit aliquando esse licitum.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod habere plures uxores non potuerit aliquando esse licitum. Quia secundum Philosophum in V. Ethic. cap. x. vel xii. jus naturale semper, & ubique habet eandem potentiam. Sed jure naturali prohibetur pluralitas uxorum, ut ex dictis patet. Ergo sicut modo non licet, ita neque unquam licuit.

2. Præterea. Si aliquando licuit, hoc non fuit nisi quia vel per se licitum erat, vel propter aliquam dispensationem licebat. Si primo modo, sic etiam nunc licitum esset. Si autem secundo modo, hoc esse non potest: quia secundum Augustinum, Lib. XXVI. contra Faustum cap. 111. Deus, cum sit naturæ conditor, non facit aliquid contra rationes quas naturæ inseruit. Cum ergo Deus naturæ inseruerit, quod sit una unius, ut dictum est art. præced. videtur quod ipse contra hoc nunquam dispensaverit.

3. Præterea. Si aliquid est licitum ex dispensatione, hoc non licet nisi illis quibus dispensatio fit. Non autem legitur aliqua dispensatio communis in lege cum omnibus facta. Cum ergo omnes communiter qui volebant, plures uxores acciperent in veteri testamento, ne ex hoc reprehendebantur in lege, aut à Prophetis; videtur quod non fuerit ex dispensatione licitum.

4. Præterea. Ubi est eadem causa dispensationis, debet eadem dispensatio fieri. Sed causa dispensationis non potest alia poni quam multiplicatio proles ad cultum Dei, quæ etiam nunc necessaria est. Ergo etiam adhuc dicta dispensatio duraret, præcipue cum non legatur revocata.

5. Præterea. In dispensatione non debet præmitti majus bonum propter minus bonum. Sed fides, & sacramentum, quæ non videntur posse servari in matrimonio quo unus pluribus uxoribus conjungitur, sunt meliora quam proles multiplicatio. Ergo intuitu hujus multiplicationis dispensatio prædicta fieri non debuisset.

Sed contra. Galat. 111. dicitur, quod lex propter prævaricatores posita est, ut scilicet eos prohiberet. Sed lex vetus facit mentionem de pluralitate uxorum sine aliqua ejus prohibitione, ut patet Deuter. xxi. 15. *Si habuerit homo duas uxores, &c.* Ergo habendo duas uxores non erant prævaricatores; & ita erat licitum.

Præterea. Hoc idem videtur exemplo ex sanctis pa-

tribus, qui plures leguntur habuisse uxores, cum Deo essent acceptissimi, sicut Jacob, David, & quamplures alii. Ergo aliquando fuit licitum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut ex prædictis patet, pluralitas uxorum dicitur esse contra legem naturæ, non quantum ad prima præcepta ejus, sed quantum ad secunda, quæ quasi conclusiones à primis præceptis derivantur. Sed quia actus humanos variari oportet secundum diversas conditiones personarum, & temporum, & aliarum circumstantiarum; ideo conclusiones prædictæ à primis legis naturæ præceptis non procedunt ut semper efficaciam habentes, sed in majori parte. Talis enim est tota materia moralis, ut patet per Philosophum in Libris Ethicorum: & ideo ubi eorum efficaciam deficit, licite ea præmitti possunt. Sed quia non est facile determinare hujusmodi varietates, ideo illi ex cuius auctoritate lex efficaciam habet, reservatur, ut licentiam præbeat legem præmittendi in illis casibus ad quos legis efficaciam se non extendere debet; & talis licentia dispensatio dicitur. Lex autem de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta, nec unquam verbo, aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut & alia quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent: & ideo in hoc à solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quæ quidem principaliter sanctis patribus facta est, & per eorum exemplum ad alios derivata est eo tempore quo oportebat prædictum naturæ præceptum præmitti, ut major esset multiplicatio proles ad cultum Dei educandæ. Semper enim principalior finis magis conservandus est quam secundarius. Unde cum bonum proles sit principalis matrimonii finis, ubi proles multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus evenire; ad quod removendum præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur, ut ex dictis patet.

Ad primum ergo dicendum, quod jus naturale semper, & ubique, quantum est de se, habet eandem potentiam; sed per accidens propter aliquod impedimentum quandoque, & alicubi potest variari, sicut ibidem Philosophus exemplum ponit de aliis rebus naturalibus. Semper enim, & ubique dextera est melior quam sinistra secundum naturam; sed per aliquod accidens convenit aliquem esse ambidextrum, quia natura nostra variabilis est: & similiter etiam est de naturali justo, ut ibidem Philosophus dicit.

Ad secundum dicendum, quod in Decretali quadam de divortii, cap. *Gaudemus*; dicitur, quod nunquam licuit alicui habere plures uxores sine dispensatione per divinam inspirationem habita. Nec tamen talis dispensatio datur contra rationes quas Deus naturæ inseruit, sed præter eas: quia rationes illæ non sunt ordinatæ ad semper, sed in pluribus esse, ut dictum est: sicut etiam non est contra naturam quando aliqua accidunt in rebus naturalibus miraculose præter ea quæ frequenter solent evenire.

Ad tertium dicendum, quod qualis est lex, talis debet esse dispensatio legis: & quia lex naturæ non est litteris scripta, sed cordibus impressa, propter hoc non oportuit dispensationem eorum quæ ad legem naturæ pertinent, lege scripta dari, sed per internam inspirationem fieri.

Ad quartum dicendum, quod veniente Christo

fuit tempus plenitudinis gratiæ Christi, per quam cultus Dei in omnes gentes spirituali propagatione diffusus est: & ideo non est eadem ratio dispensationis quæ erat ante Christi adventum, quando cultus Dei propagatione carnali multiplicabatur, & conservabatur.

Ad quintum dicendum, quod proles, secundum quod est bonum matrimonii, includit fidem ad Deum servandam, quia secundum quod proles expectatur ad cultum Dei educanda, ponitur matrimonii bonum. Fides autem ad Deum servanda est potior quam fides uxori servanda, quæ ponitur bonum matrimonii, & quam significatio quæ pertinet ad sacramentum, quia significatio ad fidei cognitionem ordinatur: & ideo non est inconveniens, si propter bonum proles aliquid detrahatur aliis duobus bonis. Nec tamen omnino tolluntur, quia & fides manet ad plures, & sacramentum aliquo modo: quia quamvis non significetur conjunctio Christi ad Ecclesiam in quantum est una, significatur tamen distinctio graduum Ecclesiæ per pluralitatem uxorum, quæ quidem est non solum in Ecclesia militante, sed etiam in triumphante: & ideo illorum matrimonia aliquo modo significabant conjunctionem Christi ad Ecclesiam non solum militantem, ut quidam dicunt, sed etiam triumphantem, in qua sunt diversæ mansiones.

ARTICULUS III.

Utrum habere concubinam sit contra legem naturæ.

III. cont. Gent. cap. cxxv.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod habere concubinam non sit contra legem naturæ. Legis enim ceremonialia non sunt de lege naturæ. Sed fornicatio prohibetur Act. xv. inter alia ceremonialia legis quæ ad tempus credentibus ex gentibus imponebantur. Ergo fornicatio simplex, quæ est accessus ad concubinam, non est contra legem naturæ.

2. Præterea. Jus positivum à naturali jure profectum est, ut Tullius dicit. Sed secundum jus positivum fornicatio simplex non prohibetur, immo potius in poenam secundum antiquas leges mulieres lupanaribus tradendæ condemnabuntur. Ergo habere concubinam non est contra legem naturæ.

3. Præterea. Naturalis lex non prohibet quin illud quod datur simpliciter, possit dari ad tempus, & secundum quid. Sed una mulier soluta potest dare viro soluto in perpetuum sui corporis potestatem, ut utatur ea licite, cum voluerit. Ergo non est contra legem naturæ, si dederit ei potestatem sui corporis ad horam.

4. Præterea. Quicumque utitur re sua ut vult, nemini facit injuriam. Sed ancilla est res domini. Ergo si dominus ea utatur ad libitum, non facit injuriam alicui; & ita habere concubinam non est contra legem naturæ.

5. Præterea. Quilibet potest dare alteri quod suum est. Sed uxor habet potestatem in corpore viri, ut patet I. Corinth. vii. Ergo si uxor velit, vir poterit alii mulieri conjungi sine peccato.

Sed contra. Secundum omnes leges filii qui de concubinis nascuntur, sunt vituperabiles. Sed hoc non esset, nisi concubitus ex quo oriuntur, esset naturaliter turpis. Ergo habere concubinam est contra legem naturæ.

Præterea. Sicut supra distinct. xxvi. dictum est, ma-

matrimonium est naturale. Sed hoc non esset, si sine præiudicio legis nature homo posset conjugii mulieri præter matrimonium. Ergo contra legem nature est concubinam habere.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod accedere ad concubinam non sit peccatum mortale. Majus enim peccatum est mendacium quam fornicatio simplex: quod patet ex hoc quod Judas, qui fornicationem non horruit cum Thamar committere, recusavit mendacium, dicens, Genes. xxxviii. 23. *Certe mendacii nos arguere non poterit.* Sed mendacium non semper est mortale peccatum. Ergo neque fornicatio simplex.

2. Præterea. Peccatum mortale morte puniri debet. Sed lex verus non puniebat concubitum concubinæ morte, nisi in aliquo casu, ut patet Deuteronomio xiiii. Ergo non est peccatum mortale.

3. Præterea. Secundum Gregorium, Lib. xxxi. Moral. cap. xxviii. peccata carnalia sunt minoris culpe quam spiritualia. Sed non omnis superbia, aut avaritia est peccatum mortale; quæ sunt peccata spiritualia. Ergo nec omnis fornicatio, quæ est peccatum carnale.

4. Præterea. Ubi est majus incitamentum, ibi est minus peccatum: quia magis peccat qui minori tentatione vincitur, ut supra distinct. x. dictum est. Sed concupiscentia maxime instigat ad venerea. Ergo cum actus gula non sit semper peccatum mortale, nec fornicatio simplex erit peccatum mortale.

Sed contra. Nihil excludit à regno Dei nisi peccatum mortale. Sed fornicarii excluduntur à regno Dei, ut patet, I. Corinth. vi. Ergo fornicatio simplex est peccatum mortale.

Præterea. Sola peccata mortalia criminalia dicuntur. Sed omnis fornicatio est crimen, ut patet Tobie iv. 13. *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam numquam patiaris crimen scire.*

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod aliquando fuerit licitum concubinam habere. Sicut enim habere unam uxorem est de lege nature, ita non habere concubinam. Sed aliquando licuit plures uxores habere. Ergo & habere concubinam.

2. Præterea. Non potest aliqua simul esse uxor, & ancilla: unde secundum legem ex hoc ipso quod ancilla in matrimonium ducebatur, libera reddebatur. Sed aliqui Deo amicissimi leguntur ad suas ancillas accessisse, sicut Abraham, & Jacob. Ergo illæ non erant uxores; & sic aliquando (1) licuit concubinas habere.

3. Præterea. Illa quæ in matrimonio ducitur, non potest ejici, & filius ejus debet esse hæreditatis particeps. Sed Abraham ejecit Agar, & filius ejus non fuit hæres. Ergo non fuit uxor Abraham.

Sed contra. Ea quæ sunt contra præcepta decalogi, numquam licuerunt. Sed habere concubinam est contra præceptum decalogi, scilicet *Non machaberis.* Ergo numquam fuit licitum.

Præterea. Ambrosius dicit in Lib. de Patriarchis seu Lib. I. de Abraham cap. iv. *Viro non licet quod mulieri non licet.* Sed numquam licuit mulieri ad alium virum accedere dimisso viro proprio. Ergo nec viro umquam licuit concubinam habere.

(1) Al. licet. (2) Al. Constantinus.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod, sicut ex prædictis patet, illa actio dicitur esse contra legem nature quæ non est conveniens fini debito, sive quia non ordinatur in ipsum per actionem agentis, sive quia de se est improporcionata fini illi. Finis autem quem natura ex concubitu intendit, est proles procreanda, & educanda; & ut hoc bonum quæreretur, posuit delectationem in coitu, ut (2) Augustinus dicit, Lib. I. de nupt. & concup. cap. viii. Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem quæ in ipso est, non referendo ad finem à natura intentum, contra naturam facit: & similiter etiam nisi sit talis concubitus qui ad illum finem convenienter ordinari possit. Et quia res à fine plerumque nominantur tamquam ab optimo, sicut conjunctio matrimonii à prolis bono nomen accepit, quod per matrimonium principaliter queritur; ita concubinæ nomen illam conjunctionem exprimit qua solus concubitus propter seipsum queritur: & si etiam aliquis quandoque ex tali concubitu prolem quærat, non tamen est conveniens ad prolis bonum, in quo non solum intelligitur ipsius procreatio, per quam proles esse accipit, sed etiam educatio, & instructio, per quam accipitur nutrimentum, & disciplina à parentibus: in quibus tribus parentes proli tenentur secundum Philosophum in VIII. Ethicor. cap. x. vel xii. Cum autem educatio, & instructio proli à parentibus debeatur per longum tempus, exigit lex nature ut pater, & mater in longum tempus commaneant ad subveniendum communiter proli: unde & aves quæ communiter pullos nutriunt, ante completam nutritionem non separantur à muria societate quæ incepit à concubendo. Hæc autem obligatio ad commanendum feminam cum marito matrimonium facit. Et ideo patet quod accedere ad mulierem non junctam sibi matrimonio, quæ concubina vocatur, est contra legem nature.

Ad primum ergo dicendum, quod in gentibus quantum ad multa lex nature obfusca erat: unde accedere ad concubinam malum non reputabatur; sed passim fornicatione quasi relicta utebantur, sicut & aliis quæ erant contra ceremonias Judæorum, quamvis non essent contra legem nature: & ideo Apostolus immiscuerunt prohibitionem fornicationis carnalibus propter discretionem quæ erat in utroque inter Judæos & Gentiles.

Ad secundum dicendum, quod ex prædicta obscuritate, scilicet in quam ceciderunt Gentiles, Deo debitam gloriam non reddentes, ut dicitur Rom. i. lex illa processit, & non ex instinctu legis nature: unde prævalente christiana religione lex illa extirpata est.

Ad tertium dicendum, quod in aliquibus sicut nullum inconveniens sequitur, si rem aliquam quam quis in potestate habet, alteri simpliciter tradat, ita etiam nec si tradat ad tempus; & sic neutrum est contra legem nature. Ita autem non est in proposito; & ideo ratio non sequitur.

Ad quartum dicendum, quod injuria justitiæ opponitur. Lex autem naturalis non solum prohibet injuriam, sed etiam opposita omnium virtutum; sicut contra legem nature est ut aliquis immoderate comedat, quamvis talis rebus suis utens nulli injuriam faciat. Et præterea ancilla quamvis sit res domini ad obsequium, non est tamen res sua ad concubitum: & iterum interest qualiter quis

que re sua utatur. Facit etiam talis injuriam proli procreandæ, ad cuius bonum non sufficienter talis conjunctio ordinatur, ut dictum est.

Ad quintum dicendum, quod mulier habet potestatem in corpore viri non simpliciter quantum ad omnia, sed solum quantum ad matrimonii usum: & ideo non potest contra matrimonii bonum corpus viri alteri præbere.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod sicut in II. Lib. distinct. xlii. quæst. i. art. 4. in corp. dictum est, illi actus ex suo genere sunt peccata mortalia per quos fœdus amicitie hominis ad Deum, & hominis ad hominem violatur. Hæc enim sunt contra duo præcepta charitatis, quæ est animæ vita: & ideo cum concubitus fornicarius tollat debitam ordinationem parentis ad prolem, quam natura ex concubitu intendit, non est dubium quod fornicatio simplex de sui ratione est peccatum mortale, etiam si lex scripta non esset.

Ad primum ergo dicendum, quod frequenter homo qui non vitat peccatum mortale, vitat aliquod peccatum veniale, ad quod non habet tantum incitamentum: & ita etiam Judas mendacium vitavit, fornicationem non vitans; quamvis illud mendacium perniciosum fuisset, injuriam habens annexam, si promissum non reddisset.

Ad secundum dicendum, quod peccatum non dicitur mortale, quia morte temporali puniatur, sed quia puniatur æterna: unde etiam furtum, quod est mortale peccatum, & multa alia interdum non puniuntur per leges temporali morte; & similiter etiam est de fornicatione.

Ad tertium dicendum, quod sicut non quilibet motus superbiæ est peccatum mortale, ita nec quilibet motus luxuriæ: quia primi motus luxuriæ, & hujusmodi sunt peccata venialia, & etiam concubitus matrimonialis. Interdum tamen aliqui luxuriæ actus sunt peccata mortalia, aliquibus motibus superbiæ venialibus existentibus: quia in verbis Gregorii inductis intelligitur comparatio vitiorum secundum genus, & non quantum ad singulos actus.

Ad quartum dicendum, quod, sicut supra distinct. xvi. quæst. iii. art. 2. quæstionc. 2. dictum est, illa circumstantia efficacior est ad gravandum quæ magis appropinquat ad speciem peccati: unde quamvis fornicatio ex magnitudine incitamenti diminuat, tamen ex materia circa quam est, gravitatem habet majorem quam inordinata comestio; cum sit circa ea quæ pertinent ad fovendum fœdus societatis humanæ, ut dictum est: & ideo ratio non sequitur.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod Rabbi Moyses dicit, quod ante tempus legis fornicatio non erat peccatum, quod probat ex hoc quod Judas cum Thamar concubuit. Sed ista ratio non cogit: non enim necesse est filios Jacob à peccato mortali excusari, cum accusari fuerint apud patrem de crimine pessimo, & in Joseph necem, vel venditionem consenserint. Et ideo dicendum est, quod cum habere concubinam non matrimonio junctam sit contra legem nature, ut dictum est, nullo tempore secundum se licitum fuit, nec etiam ex dispensatione. Sicut enim ex dictis patet, concubitus cum ea quæ non est matrimonio juncta, non est conveniens actus ad bonum
In IV. Sent. Tom. V.

(3) Al. Erant enim uxores quantum ad illam conjunctionem, intermediis omissis.

prolis, quod est principalis finis matrimonii; & ideo est contra prima præcepta legis nature, quæ dispensationem non recipiunt. Unde ubicumque legitur in veteri testamento aliquos concubinas habuisse, quos necesse sit à peccato mortali excusari, oportet eas esse matrimonio junctas, & tamen concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione uxoris, & aliquid de ratione concubinæ. Secundum enim quod matrimonium ordinatur ad suum principalem finem, qui est bonum prolis, uxor viro conjungitur insolubili conjunctione, vel saltem diuturna, ut ex dictis patet; & contra hoc non est aliqua dispensatio. Sed quantum ad secundum finem, qui est dispensatio familiæ, & communicatio operum, uxor conjungitur ut socia; sed hoc deerat in his quæ concubinæ nominabantur: in hoc enim poterat esse dispensatio, cum sit secundarius matrimonii finis: & ex hac parte habebant aliquid simile concubinæ, ratione cujus concubinæ nominantur.

Ad primum ergo dicendum, quod habere plures uxores non est contra legis nature prima præcepta, sicut habere concubinam, ut ex dictis patet: & ideo ratio non sequitur.

Ad secundum dicendum, quod antiqui patres ea dispensatione qua plures uxores habebant, ad ancillas accedebant uxorio affectu. (3) Erant enim uxores quantum ad principalem, & primarium finem matrimonii, sed non quantum ad illam conjunctionem quæ respicit secundarium finem, cui conditio servitutis opponitur, cum non possit simul esse socia, & ancilla.

Ad tertium dicendum, quod sicut in lege Moysi per dispensationem licebat dare libellum repudii ad evitandum uxoricidium, ut dicitur; ita ex eadem dispensatione licuit Abraham eicere Agar, ad significandum mysterium quod Apostolus explicat Galat. iv. Quod etiam filius ille hæres non fuit, ad mysterium pertinet, ut ibidem patet: sicut etiam ad mysterium pertinet quod Esau filius liber hæres non fuit, ut patet Rom. ix. & similiter propter mysterium factum est ut filii Jacob ex ancillis, & liberis nati, hæredes essent, ut Augustinus dicit, tract. xii. in Joan. quia Christo nascuntur in baptismo filii, & hæredes tam per bonos, quos liberæ significant, quam per malos ministros, qui per ancillas significantur.

QUÆSTIO II.

Deinde queritur de libello repudii: & circa hoc queruntur tria.

Primo. Utrum inseparabilitas matrimonii sit de lege nature.

Secundo. Utrum repudiare uxorem aliquando fuerit licitum.

Tertio. De causis libelli repudii lege permissi; & ejus inscriptione.

ARTICULUS I.

Utrum inseparabilitas uxoris sit de lege nature.

IV. cont. Gent. cap. lxxviii.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod inseparabilitas uxoris non sit de lege nature. Lex enim nature communis est apud omnes. Sed nulla lege præter legem Christi fuit prohibitum uxorem

O

di-